



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

97. Romanus Pontifex &c. Suspendio diversarum gratiarum ab Apostolicâ
Sede Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico concessarum, nempe
Cruciatæ Sanctæ Subsidiî, primæ Decimæ, nec non fructuum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expressè harum ferie motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorem existant, per quæ eisdem præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, constitutionis, deputationis, subrogationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, exemptionis, declarationis, indulti, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, sexto Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno decimo octavo. J. Card. Prodatarius.

Sanctio poe-
nalis.

XCVII:

S U S P E N S I O

Diversarum gratiarum ab Apostolicâ Sede Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico concessarum, nempe Cruciatæ Sanctæ Subsidii, primæ Decimæ, nec non fructuum Ecclesiasticorum unius mensis respectivè nuncupatarum, ad Sanctitatis Sux, & ejusdem Sedis beneplacitum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex æqui, bonique supremus Assertor, atque gratiarum dispensator in terris à Domino constitutus, ea interdum, quæ à se, & ab Apostolicâ Sede quibusvis etiam sublimi, ac Regali Dignitate præfulgentibus Personis, tametsi rationalibus ex causis, ac prudenti liberalitate concessa fuerunt, ubi graviore rationes ita suadeant, ac potissimum eadem causæ, propter quas illa concedi contigit, id ipsum exposcant, sapienti consilio abolet, immutat, aut suspendit seu aliàs desuper Pastoralis sollicitudinis suæ partes interponit, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpenfis, conspiciat in Domino salubriter expedire.

§. 1. Aliàs siquidem Nos Indulgentias illas, & gratias tam spirituales, quàm temporales ad certam tunc expressum tempus publicandas, & duraturas clarem: Philippo II. & Philippo. III. aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christifidelibus in Regnis, & Dominis Hispaniarum, ac illis adjacent. Infulis consisten., & ad illa declinantiibus, qui certa munera adimplevissent, à diver-

sis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris. sub certis modo, & formâ tunc expressis, concessas, & pluries de sexennio in sexennium prorogatas; ac deinde primò quidem à fel. rec. Urbano Papâ VIII., postea verò etiam ab illis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris quoad licentiam vescendi ovis, & laicinis tempore Quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extensas, & ampliatas, ac de sexennio itidem in sexennium sæpius prorogatas, Charissimo in Christo Filio nostro Philippo V. earumdem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christifidelibus supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogati numerandum extendimus, & prorogavimus; Concessionem itidem tam annui Subsidii quadringentorum, & viginti millium ducatorum ex fructibus, & redditibus Ecclesiasticis univrsarum Hispaniarum, quàm primæ Decimæ in omnibus, & singulis Parochiis in Regnis, & Dominis dictarum Hispaniarum, ac Infulis eisdem Regnis adjacentibus consisten. eidem Philippo II. Regi ab hac Apostolica Sede ad certum tunc expressum tempus factas, ac subinde pluriès tam ipsi Philippo II., quàm aliis successivè prædictarum Hispaniarum Regibus Catholicis de quinquennio in quinquennium prorogatas, ampliatas, & extensas, memorato Philippo V. Regi ad quinquennium tunc proximum similiter extendimus, & prorogavimus; Et nihilominus ipsas indulgentias, & gratias tam spirituales, quàm temporales eidem Philippo V. Regi, & aliis Christifidelibus prædictis ad sexennium; Subsidium verò annuum quadringentorum, & viginti millium ducatorum, ac primam Decimam hujusmodi ad quinquennium respectivè per diversas nostras in simili formâ Brevis, nempe die VIIII. & die XIII. Oobris MDCCXIV., nec non binas die primâ Januarii MDCCXVI. desuper expeditas literas de novo concessimus, & indulsimus. Præterea ipsi Philippo V. Regi, per alias nostras in eadem formâ Brevis die xiv. Martii ejusdem anni MDCCXVI. expeditas literas, assignationem omnium fructuum, & reddituum, nec non pensionum super iis referendarum unius integri mensis omnium Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum de Jurepatronatus, sive ad nominationem ejusdem Philippi V. Regis tantum, ac in præfatis Regnis, & Infulis adjacentibus existentium à memorato Urbano Prædecessore cla: itidem me: Philippo IV., dum vixit, earumdem Hispaniarum Regi Catholico ad certum tunc expressum tempus factam, & successivè ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam, ad quinque annos tunc proximos tantum, similiter prorogavimus, & extendimus, seu de novo concessimus, & aliàs, prout in singulis literis nostris supradictis quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cùm autem inspectâ omnium memoratarum gratiarum, ac concessionum, ut præfertur, factarum, & prorogatarum origine, compertum, exploratumque sit prædictas quidem indulgentias, & gratias tam spirituales, quàm temporales, intuitu, & occasione expeditionis contra Turcas, Mauros, & Saracenos concessas fuisse; Subsidium itidem annuum quadringentorum viginti millium ducatorum præfatorum supradicto Philippo II. Regi pro parandâ, instruendâ, & sustinendâ Classe sexaginta triremium, nonnisi contra Infideles, Hæreticos, vel Schismaticos, & ad Regnorum suorum defensionem educendâ concessum; nec nisi cum eisdem, aliisque legibus, seu

Causa finalis omnium ejusmodi gratiarum fuit, ut Rex Catholicus iis uteretur in expeditionibus contra infideles

Exordium;

Enumerat gratias à Sede Apostolica Regi Catholico diversis temporibus concessas, & à Sua Sanctitate protoga-

ANNO
1718.

conditionibus Orthodoxæ Fidei incrementa pari modo respicientibus, tam ipsi Philippo II., quam aliis eandem Hispaniarum Regibus Catholicis respectivè prorogatum fuisse; Similiter primam Decimam occasione etiam, & contemplatione expeditionis adversus eosdem Hæreticos, & expensarum pro Christianæ Religionis contra Turcas tuitione concessam, & indultam fuisse; Ad demum prædictam assignationem fructuum unius integri mensis à memorato Urbano factam, & subinde ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam fuisse cum expressâ prohibitione, quod pecuniæ, quæ exinde perciperentur, in alios usus, quàm Catholica Religionis defensionis, & propagationis, nec non obedientiæ erga Romanam Ecclesiam conservationis, pro quibus dumtaxat concessio ipsa facta fuerat, nullatenus converterentur.

Rex Catholicus hoc anno is usus non fuit contra Infideles, sed suas militares Copias in alium finem ipsi potius utilem, & Christianis damnosum direxit.

§. 3. Verùm, sicut Nobis non sine intimo animi nostri dolore innotuit, prævalentibus apud eundem Philippum V. Regem eorum consiliis, qui præterito anno pium, ac generosum illius animum à præliandis bellis Domini, quæ ipse antea valido complurium bellicarum navium, ac trireremium subsidio cum immortalis nominis sui laude juraverat, nequiter averterunt, frustra Nobis reclamantibus, factum sit, ut etiam hoc anno, quo Turcicum bellum adhuc durat, plurimæ tam terrestres, quàm maritimæ militum copiæ, quas idem Philippus V. Rex ingentibus sumptibus paravit, non quidem adversus Infideles, ut par fuisset, & Nos majori, qua potuimus animi contentione faciendum esse pluries ediximus, sed in alium finem Christianæ Reipublicæ potius infensum, & damnosum, illiusque teterrimis hostibus indirectè utilem, & proficuum, ut omnibus notum est, dirigantur. Hinc est, quod Nos, ne proventus, & pecuniæ ex præparatis gratis, & concessionibus provenientes in ejusmodi causam adeò ab iis, quarum intuitu illæ factæ fuerint, diversam, nec non à nostrâ, nostrorumque Prædecessorum mente, & intentione prorsus alienam converti, & erogari unquam valeant, curam omnem, ac studium Pontificiæ providentiæ nostræ impendere volentes, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, omnes & singulas gratias supra dictas à Nobis memorato Philippo V. Regi ad sexennium, & quinquennium respectivè prorogatas, ampliatas, & extensas, seu de novo concessas, & indulgas, ut præfertur, tametsi sexennium, & quinquennium hujusmodi adhuc durent, expeditasque desuper omnes, & singulas literas nostras præfatas, nec non omnia, & singula in eis contenta, & expressâ tenore præsentium ad nostrum, & Apostolicæ Sedis beneplacitum suspendimus, ac suspensa esse, & fore decernimus, & declaramus.

Idcirco Sua Sanctitas omnes præfatas gratias suspendit ad Saam, & sedis Apostolicæ beneplacitum.

§. 4. Decernentes pariter easdem præfatas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vicio, vel intentionis nostræ, aut præfati Philippi V. Regis, aliorumve quorumlibet interesse in præmissis habentium, seu habere quomodolibet prætendentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel

Decretum irritans, & clausula subblata.

extra illud uti, seu se juvare ullo modo possit; sed ipsas præfatas literas ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentiâ, & potestate fungentes, functuros, & sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ, regulâ de iure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Regnorum, Insularum, & Dominiorum præfatorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis legibus, statutis, & consuetudinibus, quantumvis longissimis, & immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Regnis, Insulis, & Dominiis præfatis, ac personis etiam Imperiali, Regiâ, aliave qualibet mundanâ, seu etiam Ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, seu aliâ specificâ, & individuâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quacumque causâ, & sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu aliâ quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis.

§. 6. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1 v. Junii MDCCXVIII, Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

F. Card. Oliverius;

ANNO
1718.

Derogatio quibuscumque contrariis.

Fides adhibenda transumptis.